

28 *Redintegratæ Annotationes ad Chronicon Marmoreum*

Marmoribus, oblitterato anno, relictoque solum seculi Indice, videlicet regnante Athenis Pandione. Primum istic laudem meretur Autor Chronici Marmorei, quatenus duos Minoes Reges Cretæ clare distinguit: hunc inquam antiquiorem, & alterum juniorem, hujus & uxoris Itônis filiæ Lyctii è Lycasto filio nepotem, ut intelligere licet è Diodoro Siculo libro 4: quorum gesta vulgo confunduntur. Hic quidem prior in Chronico Eusebiano, Asterio Cretæ Rege & Europâ Phænicis filiâ natus ante annos ferme 40, regnat in Creta, anno 30 Pandionis eo nomine prioris Atheniensium regis, qui fuit juxta Chronicon Marmoreum annus 1170 ante Citimam Epocham, ac 1462 ante Evangelium. Urbem autem quam à Minoe illo ædificatam & habitatam innunt Marmorum fragmina, probabile est intelligendam Minoam Lyctiam, sive Minoam Lyctiorum, à se & uxoris patre Lyctio pariter denominatam: utpote quam fuisse præcipuam trium urbium in tribus Insulæ aequaliter divisæ partibus ædificatarum, quarum aliæ duæ fuerint Knofus & Phæstus; significat Strabo libro 10, si modo recte ego rem in adversaria mea retuli.

Recte vero constitutum esse tempus regni hujus Minois, confirmat altera Epochæ periocha de ferro invento ab Idæis Dactylis. Namque antiquus Chronographus apud Clementem Alexandrinum primo Strom. statuit ab Idæ montis incendio & ferro invento ab Idæis Dactylis ejus Incendii occasione, ad primam Iphiti Olympiadem annos 664, atqui Eusebius in Chronico 642, noster vero calculus 658, utrumque illorum intercedens, sed multo propius ad antiquiorem & verifimiliorem accedens. Horum autem Idæorum Dactylorum cum alii multi meminerunt, tum etiam Strabo eodem libro 10, agens de Curetibus, tum Cretensibus, tum Ætolis, tum Phrygiis, inter alia his verbis utens, Δακτύλους δ' Ἰδαίους φασὶ πέντε κακλήσασθαι τὴν πρῶτην οὐκλήρεα τὴν καὶ Ἰδῶν ὑπορείας -- Αἰαφόροις δὲ καὶ τοῖς ὀνόμασι καὶ τοῖς ἀειδῶντος ἡρώτων, ὧν Σαλαμῖνον ὀνομαζέσασθαι, καὶ Δαρμναμενεά, καὶ Ἡρακλέα, καὶ Ἀκμῶνα. tum etiam Diodorus Siculus libro 13, ubi de Creta, tum denique Autor Phoronidis apud Apollonii Argonauticorum Poetæ Scholiastem, ita canens -- Ἐνθα γῆρας

Ἰδαῖοι Φρύγας ἀνδρες ὀρέσσεια ὅκιν' ἔναϊον,

Κέλμυς, Δαρμναμενεὺς τε ἱμεγῆς, καὶ ὑπορείβει. Ἀκμῶνα, &c.

Herculis autem tanquam unius ex Idæis Dactylis diverfi ab Hercule Alcmenes filio, utpote antiquioris illo, meminerat Strabo antea quoque libro 8, agnoscens nonnullos illum primum Olympiorum Autorem dicere, quo de ipse quidem dubitat, Pausanias vero Eliacis id confidenter afferit his verbis, Ἡρακλέα ἔν' ὑπόσειτι τῶν Ἰδαίων δόξα, τὸν τε ἀγῶνα ἀειδέσθαι πρῶτον καὶ ὀλύμπια ὀνομαζέσθαι. Herculi igitur Idæo debetur gloria, quod & Agonem primus instituerit, & Olympia nominaverit. Idem quinque fratres Idæos nominat Herculem, Pæoneum, Epimedem, Jafum, & Idam: & ob eam rem Olympia ab Hercule Idæo constituta fuisse quinquennialia.

Epoch, 12. A.M.C. 2596. ante Evang. 1437. Period. 5. 228.

*A quo Ceres adveniens Athenas fruges seminavit, & -- Triptolemo Celei & Nearæ filio, anni MCXLV. regnante Athenis Erichtheo.*

Cereris Adventum Athenas, frugum sationem, ejusque cognitionem communicatam Triptolemo Celei & Nearæ filio, statuit Chronologica Marmorum Inscriptio annis ΧΗΔΔΔΔΠ, 1145 ante citimam Epocham, id est, 1437, ante Evangelium, regnante Athenis Erichtheo, scilicet anno 15. Deinde autem sequitur.

Epoch.